



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R.P. Richardi Lyncei ... Vniversa Philosophia Scholastica

Complectens Dialecticam, siue Scientiam de Veritate, in decem libros
distributam

Lynch, Richard

Lvgdvni, 1654

Cap. I. Qvatuor propositionum modalium species declarantur.


[urn:nbn:de:hbz:466:1-95210](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95210)

tera Petrum non currere, & Paulum non currere adstruens non sit affirmatiua, propterea, quod sit copulatiua. Rur us non omnem propositionem disiunctiuam eo ipso negatiuam esse, probari potest iisdem argumentis. quibus paulò supra probatum manet, non omnem copulatiuam hoc ipso esse affirmatiuam. Quocirca magnopere displicet Auerſa quæst. 26. logic. sect. 5. §. dicendum tamen est, docens, propositione coniunctam non esse affirmatiuam, aut negatiuam, eo quod partes, quibus coalescit, propositiones nimirum simplices, sint per se affirmatiue, aut negatiue, sed eo solum, quod copula eas necens sit copulatiua, vel disiunctiua, & per, &, aut, vel, expressa.


97 Quod ad propositionem contrariam attinet, hæ propositiones Petrus currit, & Paulus currit, Petrus non currit, & Paulus non currit contrariantur: at, si legem simplicium retinerent, contradictoriæ essent, cum hac oppositione gaudeant simplices, ex quibus coalescunt, simplicium, ergo & compositarum diuersæ sunt leges. Maior probatur: tum, quia ambæ ne-

queunt esse simul veræ, bene tamen simul falsæ, ut intuitu constabit: tum, quia, si solus Petrus, & Paulus essent possibiles, hæ propositiones, Petrus currit, & Paulus currit, Petrus non currit, & Paulus non currit, æquipollerent his, omnis homo currit, nullus homo currit: quare contrariæ essent, & modo sunt: ex quo qualis similes contrarias esse, colligi potest.

98 Quod ad oppositionem subcontrariam spectat, hæ propositiones, Petrus currit, vel Paulus currit, Petrus non currit, vel Paulus non currit, subcontrariæ sunt: at contradictoriæ essent, si simplicium normam sequerentur, ergo: maior iisdem rationibus probari potest, quibus oppositio contradictoria, & contraria superius sunt probata. Tandem hæ, Petrus currit, & Paulus currit, Petrus currit, vel Paulus currit, & etiam hæ, Petrus non currit, & Paulus non currit, Petrus non currit, vel Paulus non currit, subalternæ sunt, ut colligi facile potest ex dictis deberent autem contradicere inuicem, si simplices æmulerentur.



Quod, si de complexis disparatis sermo sit, eas omnino legem simplicium retinere, non abnuerim: hæ namque, Petrus currit, Paulus currit, Petrus non currit, Paulus non currit, contradicunt inuicem, haud secus, ac simplices, ex quibus conflantur.



TRACTATUS V.

De propositione modali, & exponibili.

CAPVT I.

Quatuor propositionum modalium species declarantur.

1 **P**ro quo præmitto primò, propositionem modalem eam esse, cuius copula aliquo modo dialectico afficitur; ut Petrus possibiliter disputat, aut Petrum disputare, possibile est: propositionem verò de inesse, eam esse, cuius copula ab omni modo dialectico absoluitur, ut Petrus disputat. Præmitto secundò, modum propositionis dialecticum quadruplicem esse, pro quadruplici materia, vide-

licet possibili, contingenti, impossibili, & necesse, quam alij triplicem volunt, eo, quod possibile, & contingens coincidere videantur; verum possibile non repugnantiam essendi, contingens etiam non repugnantiam non essendi significat. Præmitto tertio, modalem, aliam esse compositam, cum dictum subiicitur, & modus prædicatur; quare ex dicto, & modo velut partibus principalibus ex æquo componitur; ut Petrum currere, est possibile: aliam diuisam, cum modus copulam afficit, quin subiiciatur, aut prædicetur ut quod: quare ex dicto, & modo æquè principaliter composita non est, ac proinde diuisa, ut Petrus possibiliter disputat: vel aliter; modus nominaliter sumptus modalem compositam, adverbialiter sumptus eam diuisam efficit.

2 Præmitto quartò, præter quatuor modos commemoratos, alios duos à Petro Hisp. inuentos, videlicet verum & falsum, iure merito hic omitti, eo, quod propositiones, quas modificant suis de inesse quoad oppositionem, æquipollentiam, & reliqua æquiualeant: idem enim omnino est, *Petrum currere est verum*, ac *Petrus currit*: qua ratione modales diuisæ, seu aduerbiales, ut omnis homo possibiliter currit, omittuntur, eo, quod, spectata quantitate subiecti, suis de inesse per omnia æquipollent; spectata vero quantitate modi, à modalibus compositis, seu nominalibus non differant: ob id ipsum alia modales non dialecticæ aliis aduerbiis, & particulis commixtæ omitti solent. Præmitto quintò, quantitatē

titatem, & qualitatem propositionis modalis sumendam esse à quantitate, & qualitate solius modi, impossibile autem, & necessarium modi vniuersales, possibile, & contingens modi particulares sunt, videlicet, quia necesse, & impossibile simpliciter sumpta per omnes temporis differentias vniuersaliter vagantur: si enim Petrus simpliciter necessario currat, nunquam à cursu cessare poterit, & si impossibile est eum currere, in nulla temporis differentia currere poterit, quod autem possibile, & contingens est, non eo ipso semper possibile, & contingens erit. Rursus necesse, & possibile sunt modi affirmatiui, impossibile, & contingens modi negatiui, vt constat: quare hæc propositio, necessarium est Petrum non esse lapidem, est vniuersalis, & affirmatiua, quamuis dictum sit singulare, & negatiuum; videlicet, quia modus est vniuersalis, & affirmatiuus. Vt autem modus quantitatem, & qualitatem propositioni tribuat, satis est, vt virtualiter, & æquiuvalenter eam afficiat, esto non formaliter: vnde omnes propositiones æquiuvalentes superiori vniuersales affirmatiuæ censentur.

Præmitto sextò, aliud esse propositionem modalem esse quadruplicem, pro quadruplici materia, aliud eam esse in quadruplici materia; nam hoc secundum est falsum, cum omnes sint in materia remota, aut necessaria; secus vero illud prius. Quod ita suadeo: quoniam si quæ esset in materia contingenti, præcipuè hæc, Petrum currere, est contingens; at hæc est in materia necessaria. Præmitto vltimò, omnem modalem, seu compositam, seu diuisam resolui posse ratione subiecti, si id plura complectatur, in hunc modum: hominem currere est possibile: ergo Petrum, & Paulum, & ceteros currere, est possibile: nec non resolui etiam posse ratione suæ de inesse, hoc pacto, hominem esse animal, est necessarium: ergo hæc propositio est necessaria, homo est animal, vbi modalis propositio reducitur ad suam de inesse, atque in eam resoluitur quodammodo. Prior reductio, & resolutio communis est nostris modalibus, cum quibuscumque aliis extra nostrum institutum: quoad posteriorem vero,

maxima est vtrinque diuersitas: nam hæc modalis album fuit nigrum, est vera, vbi Petrus v.g. in instanti A, sit niger, & in sequentibus albecat: & tamen ad suam de inesse reduci nequit. Hæc enim propositio, album est nigrum, nunquam fuit vera. Idem cernere est in hac propositione, *tempus totum fuit*, & aliis similibus, quas Sotus fusè commemorat.


Quatuor ergo sunt species propositionum modalium: Prima affirmat dictum, & modum: secunda negat dictum, & modum: tertia modum negat, & dictum affirmat: quarta modum affirmat, & dictum negat: quæuis earum æquipollet aliis tribus: singulæ autem quatuor æquipollentes, singulis dictionibus clauduntur: Dictiones sunt hæ: *Amabimus, Edentuli, Illace, Purpurea*. Prima littera in quauis dictione denotat modum possibilem; secunda contingentem; tertia impossibilem; quarta necessarium. Deinde

E dictum negat, Ique modum, nihil A, sed V totum. Vnde in dictione Amabimus, primum A dictum affirmat, & modum, ac de solo modo possibile procedit, vt Petrum currere, est possibile: secundum A dictum, & modum pariter affirmat, & modum contingentem comprehendit, vt Petrum currere, est contingens: I. penultimum, affirmat dictum, & negat modum, atque complectitur modum impossibilem, vt Petrum currere non est impossibile: postremum V dictum, & modum negat, modumque necesse sibi vendicat, vt Petrum non currere non est necesse. Eadem ratione possunt reliquæ tres dictiones explicari.

CAPVT II.

Equipollentia, oppositio, & conuersio propositionum modalium.

Vo æquipollentiam propositionum eiusdem figuræ, seu dictionis, & earum oppositionem cum propositionibus alterius cuiusque dictionis, seu figuræ comprehendas, sequentem typum præ oculis habeto.



1. Figura.

P. Lyncei Philosophiæ Tom. I.

2. Figura.

O 2

Æqui